



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Prima causa vitandorum iudiciorum temerariorum est, ne seuerè ob illa
iudice[n]tur à Deo & ab hominibus. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

P R O O E M I V M.



T communi morbo, valde dif-
fuso, aliqua remedia adferam,
agam de causis vitandorum iu-
diciorum temerariorum, & de
Regulis quæ tenendæ sunt, ne
in iudicando alios, erremus, & de remediis ad
vitandum hoc vitium. Valde enim nunc viget
in multis, aded, vt quod olim dicebat S. Chry-
sostomus lib. 1. de compunct. cordis: Ab hoc vitio
neque seculi homines, neque Monachorum vllum faci-
le inuenies liberum, ed quod, vt ait S. Nazianze-
nus or. 26. homines sint promptissimi censors alieno-
rum operum, tardi iudices suorum. Aliena enim vitia
in oculis habemus, inquit Seneca l. 2. de ira c. 28. à
tergo nostra sunt. Homines etiam vt ait Themis-
tius or. 17. Ex rebus inter se maximè contrariis, ca-
lumniam occasionem arripiunt. Silet Philosophus!
Maledicti insultant, tanquam præ imperitiâ dicendi,
sibi grauitatem affingat. Ad dicendum se componit!
Reprehendunt velut ex Philosophia castris in Rhetori-
ces transeuntem. Si quid admoneat, nugari: si laudet,
assentari: si quid culpet, atrâ bile laborare dicunt: si
in regiam veniat, præter institutum facere: si domi se
contineat, superuacuum terra pondus iacere: si Remp-
ta esset, ambitiosum: si ab illa recedat, nullius vfus iudè
esse contendunt. Quid cum hominibus aded morosis à-
gamus, qui quo nos collocent loco, non habent? Id de
nostris quoque temporibus dici potest: ita hoc
vitium est longè lateque diffusum, estque tale
quod non tantum iudicanti nocet, sed etiam
aliis. Nam illius malo impulsu carpuntur Super-
iores, PP. Spirituales, Concionatores, Profes-
sores, Magistri, Discipuli, Oeconomus, Operarij,
Domestici, externi. Est enim vnum ex radici-
bus magnæ libertatis in loquendo de aliorum
defectibus, quam omnes inculamus, & tamen
ferè omnes habemus, ideo de hoc malo om-
nes imperente, omnibus nocente, loquendum
est, vt causa omnium agatur, & vt omnes ab
hoc vitio abhorreant, cui etiâ viri sancti quan-
doque sunt obnoxij.

2. S. Catharina etiam sancta, testatur se hoc vitio
laborasse antequam à Domino edocta fuisset,
ne quenuquam iudicaret. Ideo c. 108. dial. Deum
Patrem in raptu alloquens, dixit: Tradidisti mihi
medicinam optabilem contra quandam occultam a-
gritudinem, quam etiam ignorabam, nec illam agnosce-
bam, instruendo me, quod nullatenus ego iudicare
presumam aliquam rationalem creaturam, & præci-
pue seruos tuos, de quibus aliquando velut excecata &
agrotans, hac eram infirmitate corrupta: quia sub co-
loratâ specie tui honoris atque salutis animarum, ego
temerè iudicabam. Non mirum, tum quia multa
contingit videre in aliis non perfecte facta vel
dicta, tum ob inclinationem quandam naturæ
corruptæ ad iudicandum temerè. Difficile nam-

que est, inquit Socrates, apud Xenopho. l. 2. de
factis & dictis Socratis, ita quicquam peragat
nihil erres: quod si etiam sine errore, quicquam aliquid
peragat, difficile est, non iniquum iudicem reperire.

CAPVT PRIMVM.

Prima causa vitandorum iudiciorum te-
merariorum.

EST, ne, seuerè iudicemur ob talia iudicia à
Deo, & ab hominibus. Etenim in die illo ma-
gno, inquit S. Chryostomus hom. in illa verba
Apostoli, Salutate Priscam to. 4. Non solum de his
que nos peccauimus, sed & de his que non peccauimus,
sed & de his ob que in alios sententiam tulimus, om-
nino iudicabit nos Deus. Et quod sepe natura leue pec-
catum est, hoc graue & incondonabile fit, dum pec-
cans alium iudicat. Fortè non satis claret quod dixi-
mus, igitur clarior dicemus Peccauit aliquis, & alium
idem committentem peccatum condemnauit, is in die
illo valde amaro non eam penam luet, quam peccati
natura exposcit, sed maiorem quam duplicem & tri-
plicem, non propter id quod ipse peccauit, sed quod al-
ium iudicauit. Et ideo in eum sententiam feret Deus.
Et quod hoc verum sit, ex his que tam facta sunt &
contigerant, demonstrabo. Nam Pharisæus quomus
ipse nihil peccauerat, sed & iuste vixerat, & multa de
se predicare poterat, quia tamen publicanum vt rap-
torem, auarum, & iniquissimum condemnauit, suffi-
catus non est, & ad maiorem quam ille penam serua-
tus, quod si is qui nihil peccauit & peccantem alium
(qui manifestus erat omnibus) verbo breui condemna-
uit tantum iactura fecit, & in tantum est panis,
qui multum quotidie peccat, aliorumque vitia con-
demnat, etiam ignorantum, cogna quantum suffi-
bunt penam, quomodo omni vni excidit: in quo e-
nim iudicio iudicatis, inquit Dominus, & vos iudicabi-
mini Luc. 6. 37. Mat. 7. 1. Et in qua mensura mensu-
aueritis, remetietur vobis. Scilicet, vt exponit idem
S. Chryostomus hom. 14. & Author imperfe-
cti hom. 17. & S. Augustinus lib. 2. de serm. Do-
mini: Beda & Euthymius, à Deo: & alij expo-
nunt, etiam ab hominibus. Iusto enim iudicio Dei
fit, vt qui curiosè in aliena facta inquirunt, ea-
que seuerè condemnant, permittantur à Deo
labi in similes defectus, & ob eos puniantur, &
ab hominibus quoque condemnentur. Hoc se-
uerè iudicium contra temerè iudicantes, ostē-
dit Deus his modis.

Primò ægrè ferendo talia iudicia. Nil, inquit
S. Dorotheus ser. 6. magis auersatur, & abominat-
ur Deus, quàm proximum iudicare, vt prælarè om-
nes asserunt Patres nostri, quando quidem nihil peccat,
nihil deterius, quàm proximum iudicare conseruet.
Et

Et infra: Nihil ad eo prouocat Deum ad iram, nihil ita hominem spoliat, & omni praesidio ac virtute demittat, nec non ad summum discrimen adducat, ut contra proximum obloqui, ut proximum diuidicare ac condemnare. Ex his erroribus, inquit idem Sanctus ibidem, dubio procul sit, ut in eadem vitia prolabamur, que ipsi damnauerimus in aliis.

Cum anno 1616. Iustrarem Romæ Bibliothecam vaticanam, incidi in librum manuscriptum græcum dictum Geronticon, vitas Patrum continentem: In eo præter multa pulcherrima exempla inueni Senis cuiusdam exemplum, ita de seipso narrantis. Cum essem, inquit, in remotissima eremo, venit ad me ex canobio frater quidam refectiois gratia, cumque de Patribus interrogassem, quomodo valerent, & ille respondisset, precium tuarum ope rectè valent, sciscitatus sum insuper de quadam fratre sinistra fame, & ille mihi: credo, ait, Pater, nondum à fama illa liber es. Quo audito. Os dixi: Et continud correptus somno atque ecstasi, visus mihi sum in Caluaria Monte esse, ibique Christum Iesum Dominum in medio latronum videre, cumque ad orandum accederem, ac propior iam essem, Angelus adstantibus magnâ voce imperauit dicens: Eicitte hunc foras quia Antichristus mihi est, priusquam enim ego iudicem, ipse Fratrem suum iudicauit. Itaque cum vi pulsus egrederer, adhesit pallium meum in ianua, qua repente clausa est, & illo relicto abi, statimque excelsus sum, & considerans quæ videram, fratri qui aduenerat dixi: Infausta mihi hac dies; Et ille: quæ de causa Pater? Cumque illi omnia narraffem, adieci: pallium meum, Dei protectio quâ fruebar, & nunc illâ priuatus sum. Atque ex eo tempore tanquam in conspectu Domini gloria, septem annos peregi in desertis ambulans, & panem non gustavi, nec tectum subij, nec cum homine vilo collocutus sum, quoad iterum vidi Dominum meum in Caluaria, qui similiter imperauit mihi reddi pallium meum.

Merito ergo S. Catharina Senensis loquens cum Deo in dial. c. 97. petebat, ut doceretur de quibusdam à Deo Patre vt, inquit, vitaret quodlibet iudicium falsum erga creaturas, & præcipue circa seruos tuos: ed, quia mihi videtur huiusmodi iudicium esse causa, vt anima fiat à te remota. Et morti proxima vt scribit B. Raimundus in eius vitæ lib. 3. c. 23. inter alia monita quæ testamenti vice reliquit filiis & filiabus suis spiritualibus tunc congregatis, vnum fuit, ne quem vnquam iudicarent. Et dixit esse necessarium ad acquirendam veram puritatem mentis, custodire nos ab omni iudicio proximi, & à sermone quouis de factu proximi, & vt in omnibus Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem. Vnde cum multâ efficaciâ, tanquam certa de hac veritate, constanter affirmabat, non debere hominem vllam ob causam quenquam iudicare id est contemnere, vel condemnare, quamuis oculis cerneret manifestum peccatum, quandoquidem Deus talem non reuocat nec condemnat, immo propriû Sanguinem dedit pro illo. Et solebat ore Dei aduergere hæc verba: Multos ob id non seruatum, esse impedi-

Laucij Opusc. Tom. 2.

tos à vita perfectione, quam acquisissent tanquam veri Sancti Dei, ob excellentiam operum. Magnum est hoc signum Deum ægrè ferre iudicia sinistra de proximis, quando ob ea negat perfectionem, alioqui dandam ob opera bona iudicantis alios temerè.

Secundò ostendit Deus eandem severitatem, contra iudicantes alios temerè, permittendo vt censores aliorum in illa ipsa incident, propter quæ alios condemnarunt. S. Vincentius tract. vitæ Spirit. c. 8. ait: Si non vis corrumpere, noli alios iudicare &c. Nam istud communiter accidit, quod quicumque alium in aliquo iudicat, Deus tandem permittit eum in illum defectum cadere, vel maiorem.

Extat huius rei pulcherrimum exemplum apud Calsianum l. 5. c. 30. de Abbate Machete: Hic, inquit, senex cum insisteret nos, neminem iudicare debere, inuitit tria fuisse, in quibus discussit vel reprehenderit fratres: quod scilicet vnam sibi nonnulli paterentur abscondi, quod haberent in cellulis sagum, quod oleum benedicentes exposcentibus secularibus darent, & hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam agritudinem vna contrahens, tam diu inquit eius languore discubui, donec tam doloris necessitate, tam Seniorum omnium adhortatione compulsus, abscondi eam permitterem. Cuius etiam infirmitatis obtentu, sagum quoque habere coactus sum Oleum etiam benedicere, ac supplicantiis dare, quod præ omnibus execrabar, vt pote iudicans illud ex magna presumptione descendere, circumstantibus me repente secularibus multis: ita constructus sum, vt aliter eos nullatenus euadere possem, nisi à me summa vi, & obtestationibus extorsissent, vt ablato ab eis vasculo, manum meam impresso crucis signaculo superponerem; itaque se credentes benedictionis oleum consecutos, me aliquando relaxarunt. Quibus mihi manifestè compertum est, iisdem causis ac vitis Monachum obligari, in quibus de aliis iudicare presumpserit. Oportet ergo vnumquemque semetipsum iudicare tantummodo, & circumspicere cauteq, custodire in omnibus, non aliorum conuersationem vitamque discutere, secundum illud Apostoli præceptum: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? suo Domino stat aut cadit. Et illud: Nolite iudicare, vt non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et semper fuit iste Dei mos, per illa punire alios, per quæ peccabant, vel per quæ peccati sui poterant commonefieri.

Quærit Procopius Gazæus cur prima plaga Aegyptiorum fuerit conuersio fluminum in sanguinem. Respondet, ad ostendum peccatum eorum, quod fuit occisio tot infantium proiectorum in flumina. Filij Aaron igne peccauerunt alieno illato ad sacrificia, per ignem quoque sunt puniti. Leuit. 10. v. 1.

Dauid violauit uxorem Vriæ 2. Reg. 11. 4. eius quoque uxores violauit Absalon 2. Reg. 16. v. 12. iuxta prophetiam Nathan 2. Reg. 12. 11. Dauid occidit Vriam per hostem 2. Reg. 11. Deus quoque eius filium occidi permisit 2. Reg. 13. Quæsiuit ad mortem Dauidem Absalon, sed

Fff 3 mor-

mortuus est ipse, & quidem in quercu. Nam apud antiquos querna virga, erat symbolum regni, & cum tot foliis pingebatur, quot habebat Prouincias. Quia ergo regnum ambiebat, in ligno, regni symbolo suspensus est. Volebat esse superior aliis, factus est superior pendens à ligno; erat iniurius Patri à quo alimentum habuit, pendit ex illa arbore, cuius glandibus homines, ante tritici vsum inuentum alebantur; iumento utebatur ad assequendum patrem fugientem, à iumento fugiente; ad assequendum suspensum deductus est; suspensio vitam finit, sicut finiuit eius Consiliarius Achitophel, qui occasione eiusdem sceleris se suspendit. Sic plane qui condemnant aliorum vel conuersationem, vel conciones, vel sermones &c. Deo permittente eadem in illis condemnantur. Ne ergo id nobis contingat, abstinendum à temeritate iudicandi alios.

9. Quod si non in similia vitia Deus permittit labi censores aliorum, certè in grauius vitia finit eos ruere. Scribit Palladius in hist. Laus §. 34. de quadam virgine Hierosolymitana que sacrum gestauit sexennio & fuit inclusa, nec aliquid accepit ex eis quae tendunt ad voluptatem, postea autem à diuino deserto auxilio, propter summam superbiam lapsa est, & aperta fenestrà admisit eum qui ei inseruebat, & cum eo fuit cōmixta, ed quod non diuino proposito & ex ebrietate se exercuerat, sed vt humana scena seruiret quod quidem est vana gloria & prauis instituti. Quomodo autem ad hanc superbiam peruenerit, subdit itatim: Nam cum eius cogitationes occupatae essent in damnandis aliis, incitaretur autem furore à demone superbia, eoque valde delectaretur, ab ea recessit Sanctus Angelus custos temperantiae.

10. Tertio, Deus ostendit eandem seueritatem in temerè iudicantes, quia ob talia iudicia, aliis poenis afficit & amicos suos, & inimicos. Condemnauerat olim Maria Moyses, non quidem in re graui, sed vt bene notat Caietanus, quod praetextu longae orationis diu cum Deo, raro cum vxore versaretur, & saepe ab vltimo matrimonij abstineret. Quae res etsi laude digna erat in Moysè, grauitè tamen leprà immisà à Deo punita est in Maria, quia hanc ob rem condēnabat Moyses. In qua pena notanda sunt aliqua. Primo quod lepra illa tantum faciem eius texerit, vt colligitur ex Num. 12. vers. 12. quia qui temerè iudicant, dicuntur in Scriptura secundum faciem iudicare: Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate Ioan. 7. v. 24. Secundo, orans Moyses pro Maria rogat, ne ob lepram hanc fiat quasi abortiua, & mortua, quae epitheta conueniunt temerè iudicantibus. Nam vt abortiuum, foetus est immaturus: ita temeraria iudicia denotant immaturum iudicium: qui enim mature ponderat omnia, excusat facile omnia, secus faciunt stulti. Hinc bene Spiritus S. ait Ecclesiasticus 10. v. 3. Stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.

Temerè vero iudicantes mortui vocati possunt, quia qui viuum est membrum non surgit contra alterum membrum. Sunt enim vt inquit Apostolus 1. ad Corinth. 12. v. 25. 26. pro inuicem sollicita membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Sic & amicos Iob temerè eum iudicantes & condemnantes, increpauit Deus dicens Iob vltimo v. 7. ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in diis amicis tuis, quoniam non estis locuti coram me rectum. Et tamen hi amici, videntur valde spiritualiter locuti de Deo, Deique rebus, & condemnando Iob, videbantur haec praetendisse, vt causam Dei agerent, & humiliarent Iob tanquam elatum, & se Deo componentem, nec Deum valde timentem. Iratus est, dicit Sacer textus Iob 32. v. 2. Eius aduersus Iob ed quod iustum sese diceret coram Deo, & v. 21. idem ait: Non accipiam personam viri, & Deum homini non aquabo: Et cap. 33. vers. 12. Hoc est ergo, in quo non es iustificatus, respondebo tibi, quia maior sit Deus homine: Et vers. 13. Aduersus eum contēdis, quod non ad omnia verba responderit tibi? Et c. 34. vers. 5. Quia dixit Iob, iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum: & vers. 6. In iudicando enim me mendacium est violenta sagitta mea absque villo peccato.

Hunc ipsum Dei morem ostendit S. Gregorius lib. 3. Dialog. c. 6. Cum enim Regi Totilae occurrisset Cassius Narniensis Episcopus in illa Urbe, quod Cassio ex conspersione hepatis semper facies ruberet, hoc Rex non conspersionis esse credidit, sed astidua potationis, eoque omnimodè desepit, sed omnipotens Deus, vt quantus vir esset, qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quo Rex aduenerat, malignus spiritus, coram omni exercitu eius spatium inuasit, eumque rursus crudeliter cepit. Qui cum ante Regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus, hunc ab eo vir Domini oratione facta signo crucis expulsi, qui eum ingredi viseris non praesumpsit. Sicque factus est, vt Rex Barbarus, seruus Dei, ab illo iam die veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie.

Conscientiae quoque inquietudo & morositas solet esse poena iudiciorum talium. Censores aliorum solet Deus exagitare magnis melancholiis & tristitiis. Vnde cum in Vita PP. apud Ruffinum l. 3. n. 100. & Rosweyde pag. 516. col. 1. Quidam frater requisit Abbate Pannonem, dicens: quid faciam pater, quoniam conturbor à tristitia: dixit ei senex: Neminem pro nihilo aspicias, nullam condēmes, nulli detrahas, & dabit tibi Dominus requiem. Cauendum ergo nobis est à iudiciis temerariis, ne diuina contra nos iudicia malo nostro sentiamus.

Quarto, in altera quoque vita Deus specialiter tales punit. Ideo Dominus S. Mechthildis Virgini Ord. S. Benedicti reuelauit, magni esse criminis cum homo iudicat proximum suum: quem si

iniste iudicauerit, reus erit tanti sceleris, quanti esset ille, qui fecisset hoc malum, quod de alio iudicatur. Quod si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur: tamen qui nesciens intentionem facientis, secundum consuetum & sensum eum iudicat; tam reus erit ex ipso iudicio, quam ille qui rem ipsam perpetravit: & nisi penitendo diluat, si nihil poenae, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subiacet. Sic habetur l. i. cap. 7. an fine, spiritualis gratia S. Mechtilidis.

CAPVT SECVNDVM.

Secunda causa vitandi iudicia temeraria est

13. **E**xempla Dei & Christi mirabilia, qui summo opere cauit etiam in corrigendis excessibus humanis, vt ita diuina, iustitia fieret factis, ne quid humana existimatio pateretur detrimenti, & nos haberemus documenta, non facile alios condemnandi. Consideremus huius rei aliqua insignia exempla.

Primum exemplum sit in Adamo & Eua. Scimus quam graue fuerit Adae peccatum, per quod peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. Roman. 5. versu 12. Quam suauem tamen Dei iudicium & condemnatio fuit Adam?

Primo non statim inuolauit in Adamum, sed perambulauit in paradiso, idque non nocte, quando est tempus horridum, sed post meridiem, tum dixit: *Vbi es?* non addidit, peccator, inobediens, causa tot malorum, etsi id verè dicere potuisset, & cum audisset dici: *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, ed quod nudus essem, & abscondi me:* Deus videns hic insinceritatem, dum causam timoris celat precipuam, scilicet peccatum, & nuditatem esse ait: *Deus tamen non condemnauit tantquam insincerum, occasione tamen eius dicti, suauiter ostendit causam precipuam eius rei, inobedientiam: & quod illius timoris & pudoris causa non esset nuditas, sed ipsiusmet inobedientia; dixit: Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti: indicat peccatum, suspendit iudicium, & condemnationem.*

Obseruatum hoc à S. Chrysostomo: post haec scripta inueni in hom. 23. in epist. Roman. in mor. Cum, inquit, transgressum increparet, vide quam mansuetè. Non enim illi dicebat: *Scielesse, cum tanta beneficia per me receperis, post illa omnia fidem habuisti diabolo, benefactoremque tuum relinquens, attendisti malo damoni. Sed quid dicebas: quis tibi dixit quod nudus sis, nisi quod de ligno de quo solo ne comederes tibi praeceperam, comedisti. Quem-*

admodum si pater cum filio ne macheram contingeret, praecepisset, deinde cum non obediisset, vulneratusque iam esset, diceret, unde vulneratus es? Hinc scilicet, quod me non audisti. Agnoscis verba plus amici quam Domini: amici inquam, contempti quidem, neque sic tamen ab amore cessantis. Adam ergo videns tempus sibi dari excusationis amplioris: *Mulier, inquit, quam dedisti mihi* (tacite in Deum referens causam, eo modo, quo Dominus seculari diceret amico irato, ob famulum eius sibi iniuriam, sibi ab eo commendatum vel datum ad obsequia, vel seruam aliquam.) *Dedit mihi de ligno & comedi.* Deus adhuc iudicium & condemnationem detinet, dissimulat excusationem friuolam Adae, & sui tacitam accusationem, nihil amplius de eo cum eo loquitur, sed vt solent Iudices, qui volunt liberare aliquem in iudicio, leui data occasione ex dicto eius, relinquunt examen facti, & digrediuntur ad aliud. Dixit ergo ad mulierem, credens quod fecerit, quia sciebat, & quia testis erat oculatus Adam, omni exceptione maior, nondum damnat, sed quasi dans occasionem vt se purget, & libera euadat à sententia ait: *Quare hoc fecisti?* non dicit: *quare seduxisti Adamum, quare tam multorum malorum causa fuisti, quare peccasti.* Nil horum ait, sed, *quare fecisti. Peccatum non est opus, sed nihil, vt ait S. Augustinus in c. 11. Ioan. opus tamen vocat. Illa ait: Serpens decepit me, & comedi.* Tacuit, quod dedit etiam Adamo, enique deceperit: Deus tamen & hoc dissimulat, & non condemnat. Propter hoc autem inquit S. Iren. l. 3. c. 37. interrogat eos, vt ad mulierem veniret accusatio, & illam prorsus interrogat, vt ad serpentem transmitteret &c. & sic ea relicta, serpenti ait: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terrae &c.* à Serpente non inquit, non interrogat cur fecerit, sed statim condemnat. Cum serpente ita agit, quia libertatem arbitrij non habuit, quia bene operari non potest, quia peccare vt animal irrationale non potest, quia non per se, sed per daemone[m] qui in eius forma apparuit, Eua[m] decepit: & tamen hic condemnat. Adam & Eua non? condemnauit, sed postea, non tam cito, differēbat quantum potuit. Condemnatio autem qualis? Primo non vocat deceptricem, malam &c. sed nolens confundere, peccati mentionem nullam facit, non exprobrat, tantum poenam instigit, qualem eam quam habuisset etiam si Deus eam ore suo non promulgasset: nam perditā innocentia[m], non poterat parere sine dolore. Deinde poenam hanc temperat spe rei desideratae, cum poena ipsa coniungendae. Matres desiderant prolem, olim praesertim, ob quam & sanctae steriles se affligebant in eius defectu.

Multiplicabo arumnas tuas, en poena, & conceptus tuos: en mel temperans condemnationis fel-